

## BRITANNIA.

getur. Diodorus libro sexto ambitum ejus scribit esse duorum & quadraginta milliū stadiorū. Martianus: *Britannia* inquit, *longa millibus octingentis, lata trecentis, circuitu tricies octies viginti quinque millia tenet.* Nugæ. Doctissimus & accuratissimus scriptor Camdenus hanc rationem inicit, à Tarvisio promontorio ad Belerium, itinere ob sinuosos littorū tractus curvato, millia passuum sunt **DCCCXII**: inde ad Cantium **CCCXX** millia: deniq; à Cantio ad Tarvisiū **DCCI** millia. Quæ summa est **MDCCXXXVI** millium passuum. Hæc Insula olim in duas partes divisa fuit, teste Ptolomeo magnæ constructionis lib. **II**: ubi Insulam universam in *Britanniam magnum*, & *parvam* dispescit. *Magnam* vocat citeriorem ejus partem ad Meridiem: *Parvam* verò ulteriorem ad Septentriones. Romani vero ulteriore parte neglectā, quia, ut inquit Appianus, illis utilis esse non poterat, citeriorem in provinciam jam redactam primum duplicum fecerunt, *Inferiorem* & *Superiorem*, ut ex Dione colligitur. Angliae enim partem citeriorem cum Walliā *Superiorem*, ulteriorem & Septentrionalēm *Inferiorem* vocat. Postea in tres partes descriperunt, ut ex Sexto Rufo liquet, in *Maximam Cæsariensem*, *Britanniam Primum* & *Britanniam Secundam*. Postremo, cùm Imperii Romani formula indies immutaretur, Britauniam quinquepartitam fecerè, *Britanniam nimirūm Primum*, *Secundam*, *Maximam Cæsariensem*, *Valentiam*, & *Fluviam Cæsariensem*. Atque hæc quidem fuerunt sub Romanis ipsius Britannia divisiones. Nonnulli universam Insulam olim fuisse in tres partes divisam scripsere, nempe in *Loegriam*, *Cambriam* & *Albaniam*. Sed hanc recentiorem esse divisionem credit Camdenus, ut quæ à tribus populis, Anglis, Cambris & Scottis, qui postremo Insulam inter se diviserunt, videatur enata. Postea in duo Regna, nempe Angliam & Scotiam, divisa est Insula: jam verò scelissimo sub Iacobo 6 unita hæc duo sunt Regna, & tota Insula *Magna Britannia* appellata. Vastissimo autem & apertissimo Oceano, ut suprà docuimus, Britannia undiq; circumfunditur, quem B. Basilius *Mare magnum*, & *navigantibus horrendum* dixit. Latè certè modò campos vicinos inundat, modò refugit & nudat, & ut cum Plinio loquar, in magnitudine hac aperta, Luna vim laxè gravantis efficacius sentit, tantaque vi semper immititur, ut non solum flumina retrograt, sed aut terrestria deprehendat animalia, aut marina destituat. Tantumque erat vel hoc mare hyeme navigare, ut Iul. Firmicus in libello de errore prophanarum religionum ad Constantem & Constantium Imp. exclamarit: *Hyeme ( quod nec factum est aliquando, nec fiet ) tumentes, & sevientes undas calcatis Oceanii Britanicici, sub remis vestrīs incogniti jam nobis pene mariis unda contremisit, & imperiatam Imperatoris faciem Britannus expavit.* Quid amplius vultis? viri utibus vestrīs victa Elementa cesserunt. De commoditatibus quas hoc mare præstat, de tempore quo terras fovet, devaporibus quibus aërem nutrit, & agros irrorat, de piscibus variis generis, Salmonibus, Passeribus, Paguris, Asellis, Halecibus &c, quorum infinita examina alit, nihil attinet dicere: Margarita tamen non sunt silentio prætereunda, quas rotundâ specie mari Britannico gregatim natare ducem sectantes, more apum Iubas memorat. Meminit & Marcellinus. Harū spe Cæsarem Britanniam petuisse author est Suetonius. Atq; hæc de Albione, nunc reliquas præcipuas percurramus. Inter omnes longe præcellit Hibernia, de quā nihil hic, de eā in propriis quas occupat tabulis, dicturi. Eam sequuntur *Orcades*, nunc *Orkney* **xxx.** plus minus, Insulæ, modicis inter se discretæ spatii, quas ita appellat quædam

*Mare.**Commoditates.**Orcades.*